

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica VII. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Ex ira Cain fratrem Abelem occidit, Gen. 4. v. 8. Ex irâ Saul generi sui vitæ infidiatus est, 1. Sam. 19. v. 10. Ex irâ juravit David, se non relicturum de omnibus in domo Nabal, ne mingentem ad parietem, 1. Sam. 25. v. 22. Ex irâ occidit Herodes pueros Bethlehemiticos, Matth. 2. v. 16.

Ex iracundiâ adhuc hodie multi committunt talia, quæ corpori & animæ exitio sunt. Stultum occidit indignatio, & insipientem zelus. Job. 5. v. 2.

Quando itaque iracundia infestat nos *1. Speculum consulamus*, intuentes nos, quomodo eadem nos depravarit. *Ira enim quadam hominis demoniaci effigies est*, ait Basilus.

2. *Humilitati studeamus*. Qui enim nimium sibi tribuit, & omnia ad libitum affectat, facillè ad iram provocari potest. Qui

verò humilitate præditus est, ad omnem fortunam patiens erit. Sicuti igitur inter superbos semper jurgia sunt, Prov. c. 13. vers. 10. Sic humiles facillè pacem colent, quia in humilitate sibi invicem superiores arbitrantur, Phil. 2. v. 2.

3. *Nihil in irâ faciamus*, sed ante orationem Dominicam recitemus, ut Ambrosius Theodosio hoc consilium dedit.

Quia verò imprimis *Patientia* requiritur, quæ non cullibet in promptu est, idèò à Deo eandem rogemus oportet, qui propterea Deus patientiæ vocatur. Hoc si fecerimus, iræ valedicentes, Deus nos à futurâ irâ liberabit & in regnum suum suscipiet. Quod ita fiat, per Christum Jesum, Amen.

\* \*

## Dominica VII. post Trinitatis.

*Evangelium Marc. 8. v. 1. — 9.*

EXORDIUM.

**P**atriarcha Abrahamus habuit Procuratorem, qui præfuit omnibus facultatibus, & reliquo famulitio ejus, Gen. 24. v. 2.

Sic & Pater cœlestis Procuratorem constituit: qui est filius suus, Servator noster, Jesus Christus: huic domum Universi hujus, nec non domum Ecclesiæ administrandam concredidit. Omnia enim subjecisti sub pedibus ejus, ait David, Psal. 8. v. 8. 9. in eo, quòd omnia ei subjecit, nihil dimisit, non subjectum ei, Hebr. 2. v. 8.

Imprimis vero *septem Claves* fidei ejus commisit, quibus pro re natâ claudere &

recludere potest, sicut aliàs, Domus Procurator clavibus instructus, & promus condus est eorum, quæ ad rem familiarem necessaria sunt.

1. *Est clavis cœli*, quâ cœlum referat, thesaurum suum optimum, & tribuit pluvias terræ in tempore suo, Deut. 28. 12. & effundit benedictionem, usque ad abundantiam, Mal. 3. v. 10.

2. *Est clavis frumenti*, quâ terram aperit, & educit panem de terrâ & vinum, Psal. 104. v. 14. ut comedamus vescentes. & saturemur, Joel. 2. v. 26.

Mm 2

3. Cla-

3. *Clavis puerperii*, quâ clausam matricem recludit, & habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Pl. 113. v. ult. ut exemplum Rahel testatur, quæ pro libitu ejus, modò sterilis, modo sæcunda fuit. Gen. 29. v. 31. 30. v. 22.

4. *Clavis verbi*, est enim Dominus, qui habet clavem David, Apoc. 3. v. 7. & aperire potest librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Apoc. 5. v. 1.

5. *Clavis corculi*, quâ corda aperire, & ad poenitentiam disponere potest, ut exempla Lydiæ, Act. cap. 16. vers. 14. Et discipulorum Emaunticorum testantur, Luc. 24. v. 45.

6. *Clavis sepulchri*, quâ aliquando tumulos nostros aperiet, & educet populum suum de sepulchris ejus, Ezech. 37. vers. 12. Hinc ait: Fui mortuus: & ecce sum vivus in secula seculorum &c. Apoc. 1. v. 18.

7. *Clavis paradisi*, quâ omnibus peccatoribus poenitentibus januam vitæ æternæ referat, propterea ait ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso, Luc. 23. v. 43.

Quando igitur indigemus donis *corporalibus, spiritualibus & cælestibus*, à Domino hoc, ea petere debemus, qui dat omnibus simpliciter, & non impropertat, Jac. 1. 5. Non enim potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo. Joh. 3. v. 27.

In prælecto Evangelio utitur *clavè verbi*, & egregiam concionem habet ad populum: utitur *clavè cordis*, & aperit corda eorum, ut cum devotione auscultent, & tres dies in eo fervore perseverent. Utitur quoque tandem *clavè panis sive frumenti*, eaq; recludit domum suam frumentariam, dum septem panibus & paucis pisciculis auditorum suorum quatuor millia cibavit, ex-

ceptis uxoribus & parvulis, & saturavit: superantibus de fragmentis septem sportis, ut ex Evangelio præsentè patet.

Nos absque ulteriori præfamine accingemus nos Evangelio prælecto, tractaturi ex eodem:

I. Ἀβυσσολογίας, sive *notitiam nostri*.

II. Χριστολογίας, sive *notitiam Christi*.

J. J.

### Exegetis.

**U**Bicumque fuerit cadaver, illic congregabuntur & aquilæ. ait Servator noster de seipso, Matth. 24. v. 28. Hoc ita factum est, cum in diebus carnis in mundo peregrinatus est; tùm populus ad eum certatim confluit, quia non modò ægrotos sanabat: sed & ceu potestatem habens docebat, & ita salutaris animæ & corporis medicus erat, qualis nunquam visus fuerat, ut ex prælecto Evangelio luculentum exemplum habemus.

Hic enim ansam ad *notitiam nostri* meditando nobis subministrat:

I. *Populus præsens*, de quo Evangelista ita ait: In diebus illis, cum turba multa esset, nempe ut inferius exprimitur, quatuor millia, & quidem uti Matthæus addit: ἄνωγει ἑπτὰ χιλιάων & παίδων, Matth. 15. v. 38. Causa cur Christum sequuti sint, fuit non modò auxilium mirabile, quò infirmis subvenit: sed & desiderium verbi divini: parum enim solatii ex concionibus Phariseorum haurire poterant: Christus verò prædicabat remissionem peccatorum, Matth. 4. v. 17. & promittebat ad se venientibus refectorem, & requiem animarum, Matth. 11. v. 28.

Hæc concio ipsis pergrata erat, ideoque omnibus negotiis aliis posthabitis Prophetam hunc insequerantur, sine cibo & potu

cum

cum eo perseverantes triduo, ut Christus ipse testatur.

*Quilibet hic scrutetur se & probet, utrum etiam tanto zelo, Christo appropere, quando per ministros suos in Ecclesia predicat, in eaq. constanter perseveret?*

Utinam id fieret! Sed experientia diversum testatur. Quando nuptiæ aut epulæ quædam ad eundem sunt, tum quilibet ita se comparat, ut iusto tempore compareat: sed ad ecclesiam non perinde maturatur. Nonnulli templo neglecto, domi resident, leviter æstimantes, sive audiant verbum sive minus. Alii quidem in templo comparent, sed moram diuturniorem ægrè ferentes, ante absolutam concionem discedunt.

His merito ruborem incutere debet populus hic, qui Christum per longum iter fecutus, triduum cum eo mansit, in tanto fervore, ut famem tolerare, quam concionibus ejusdem carere maluerit.

Simili zelo præditi fuerunt, David, Psal. 27. v. 4. Hanna, Luc. 2. v. 37. Maria, soror Lazari, Luc. 10. v. 42. Cornelius, centurio Cæsareæ, Act. 20. v. 33.

Hæc exempla nos imitantes, pari zelo ad verbum divinum properare debemus. Hoc enim unicum est necessarium, Luc. 10. v. ult. reliqua omnia *ἀγαθὰ* sunt, unde Christus: *Querite primum regnum Dei & iustitiam ejus*, Matth. 6. v. 33.

Imprimis verò nostrum erit, ut ad exemplum populi hujus, *triduum* cum Christo maneamus.

Primus dies vocari potest *dies Solis*, quando prosperâ fortunâ utimur, ut promtuarum nostrâ sint plena, eductentia de frumento in frumentum, Psal. 144. v. 13. 15. tum enim cavendum est, ne abutamur felicitate hæc, dicentes: *Quis est Dominus?*

Prov. 30. v. 9. sed potius inde occasionem capiamus, Christo Domino nostro, qui sol iustitiæ est, Mal. 4. v. 2. eò majores gratias agere, nec minus orare, ut dare nobis velit cor *avertens*, ne divitiis abutamur, & à verâ pietate iisdem abstrahamur, sicut David magnus Rex fuit, nullâ inopiâ laborans, & tanti tamen verbum Dei æstimavit, ut super millia auri & argenti dilexerit, Psal. 119. v. 72.

Secundus dies est quasi *dies Luna*. Veluti enim luna subinde immutatur & decrefcit: sic etiam in vitâ hæc nihil stabile & permanens est: Deus enim malam diem facit sicut bonam, Ecclef. 7. v. 15.

Don Alvaro de Luna, eques Ordinis Teutonici, in symbolo suo habebat semi lunam, cum inscriptione: Nil stabile. Aliquando famulus ejus subscribebat: *Optimum* quam creseat in plenum. Dominus propterea eum objurgabat: sed ille excusabat se, dicens: se non malâ intentione id fecisset. Lunam enim plenam necessariò rursum decrefcere. Sed malle se, Dominum suum in prosperitate felici semper manere, quam ex eadem eum deturbari.

Ita mediocris fortuna optima est. Ideò orat Salomo: *Duo rogavite &c.* Prov. 30. 7. Nos id agamus, ut maneamus cum eo, quando Luna decrefcit, & optimum solatium ex verbo ejus hauriemus, dicentes cum Davide: *Nisi lex tua gaudium meum, tunc fortè perissem in afflictione meâ*, Psal. 119. v. 92.

Tertius est *Dies Parasceves*, quâ Servator noster mortuus est. Mors enim & nos aliquando inveniet, ideò danda nobis opera, ne à Christo deficiamus, sed cum Hiobo dicamus: *Etiam si occiderit me Dominus, tamen sperabo in eo*, Hiob. 13. 15. *Qui*

Mm 3

enim

enim perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit, Matth. 10. v. 22.

Si per hoc triduum cum Christo perseveravimus, aliquando sabbatum ex sabbatho orietur, quod cum Christo celebraturi sumus, Esa. 66. v. 23.

II. *Panis deficiens*, non enim habebant, quod manducarent, & quia triduum Christum sustinuerant, verendum erat, si jejunos dimisisset Jesus, ne in via defecissent.

Hoc adhuc hodie quandoq; accidit.

Facile siquidem fieri potest, ut subtracto frumento, Deus famem regioni immitat, ut homines non habeant, quod manducent. Utitur enim,

Vid. inf. 2. part. 3. pag. 361.

I. *Mediis conspicuis*, quâ fruges perdit: (1) *Per adversam tempestatem*, quod fieri potest sequentibus modis:

1. *Aestu & siccitate*, Deut. 28. v. 23. Amos. 4. v. 17. 1. Reg. 17. v. 1. seqq.

2. *Pluvii & nimia humiditate*, Job. 12. vers. 15.

3. *Pruinis & intempestivâ frigiditate*, Psal. 147. v. 16.

4. *Grandinis incommoditate*, Exod. 9. v. 31. Sir. 40. v. 35.

5. *Rubiginis iniquitate*, Esa. 18. v. 5. 6.

(2) *Per insectorum voracitatem*, quæ fruges in agris depascunt, juxta illud: Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit locusta, Joel. 1. v. 4.

(3) *Per hominum pravitatem*.

Inveniuntur enim

1. *Tyranni & immisericordes*, qui potestate suâ abutuntur, & super subditos annonæ caritatem inducunt. Quod fecit Caligula, ethnicus ille Imperator, qui granaria clausit, & fruges Romam invchere prohibuit, quò res annonaria difficilis foret civi-

bus. Hæc oblectatio ejus fuit, sicut adhuc hodiè homines inveniuntur, qui proximo neglecto, se tantummodò respiciunt, exemplo Epulonis, Luc. 16. v. 22.

2. *Impii milites*, qui fruges perdunt, & sic rem frumentariam in angustias cogunt.

3. *Fœneratores*, qui frumentum in vilitate annonæ coëmunt, & pauperes nimio fœnore onerant, vel planè compressum tenent, hi meritiò maledicti sunt, Prov. 11. 26.

2. *Mediis inconspicuis*, ita ut maledictione immisâ, nemo rationem reddere possit. Seminatur multum & parum infertur, Hagg. 1. v. 6. & quod infertur, insufflando dissipatur, Hagg. 1. v. 6. ut cum accesserimus ad acervum viginti modiorum, fiant decem: & intraverimus ad torcular, ut exprimeremus quinquaginta lagenas, fiant viginti, Hagg. 2. v. 17. aut germen non facit farinam, Hof. 8. v. 7. Quin adeò maledictione Deus id perdere potest, ut si panem in cibario habeamus, & dentibus comminutum stomacho immittamus, comedentes non saturemur, Os. 4. v. 10.

Hic te ipsum examina, mi Christiane! si res tua familiaris deficiat, ut non habeas quod manduces, annon peccatis tuis ipse id effeceris?

Flagellamus enim annonam.

1. *Per injustitiam*, quando injusta media apprehendimus, quibus opes acquiramus. Quales illi sunt, qui mutuò sumentes nunquam solvunt, de his David ait: Mutuatur peccator, & non solvet. Psal. 37. v. 21. sive adhibent varias fraudulentias, quisquilias frumenti vendunt, Amos 8. v. 6. sive habent injustas stateras, iniqua pondera & mensuras, Levit. 19. v. 35. 36. sive conversationem vitæ compositam ad lucrum habent, etiam ex malo acquirentes, Sap. 15. vers. 12. ejusmodi

modi bona in maledictione erunt, Sir. 41. vers. 12. Substantiæ injustorum enim sicut fluvius siccabuntur, Sir. 40. v. 13. sive per manifestum furtum, velut Achan, Joh. 7. v. 20.

2. *Per luxuriam*, quando cum Epulone quotidie splendide epularis, Luc. 16. v. 19. Qui diligit voluptates, in egestate erit, Prov. 21. v. 17.

3. *Per invidiam*. Qui enim despicit deprecantem, sustinebit penuriam, Prov. 28. v. 27. Apostoli plus pro aliis, quàm pro seipsum hinc curarunt. Sic & tu frange esurienti panem tuum, Esa. 58. v. 7.

Quicumque itaque horum modo aliquo peccavit, seriam penitentiam agat, & Oret Deum verà fide de remissione peccatorum, & remittentur illi peccata. Voluntatem enim timentium se faciet, Psalm. 145. vers. 19.

III. *Cor ambigens*, Christo enim de cibus hujus populi animas eorum exploranti, diffidentes respondent discipuli: Unde istos quis poterit hinc saturare panibus in solitudine? nec reputant secum, quod Dominus & Magister suus quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus, non quatuor duntaxat: sed quinque millia cibasset, Joh. 6. v. 10.

*Hic inspicias velim te, mi Christiane, annon & ipse quandoq; cogitationibus ejusmodi labores, quando difficultatem rei familiaris respicias, commercii interea, & qua alimonia inservire debebant, votis non respondentibus?*

Hæc trita querela est, Mechanicis & Opificibus, qui manu victum acquirere coguntur, vel maximè familiaris, vix enim quotidianos sumtus tolerantes, subinde conqueruntur: Unde panes in solitudine?

sive ut verbis Christi utar: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Matth. 6. v. 31.

Hæc pars diffidentia est, quæ in multorum cordibus tantas radices egit, ut externis modò mediis intenti sint: his verò deficientibus, & fides eorum deficiat, exemplo sit eques Samaritanus, 2. Reg. 7. v. 1. & seqq.

*Veri Christiani huic vitio renunciare & fidem suam fundare debent:*

1. *In veritate promittentis*. Qui confidit in Deo, non minorabitur, Sir. 32. v. 28. Escam enim dat timentibus se, Psalm. 111, 5. nec affliget fame, animam justi, Prov. 10. v. 3. Ideo ipse ait: Victum ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus, Psalm. 132. v. 15.

Hæc non hominis verba sunt, qui sæpè fallunt, filii viri sunt mendacium, si ponderentur in statera, ipsi simul ipsa vanitate sunt leviores, Psalm. 62. vers. 10. sed verba Dei æterni & immutabilis, qui non mentitur, Tit. 1. v. 2. Cælum & terra transibunt, verba autem ejus non transibunt, Luc. 21. v. 33. Est enim firmus sermo propheticus, &c. 2. Petr. 1. v. 19. citius montes commovebuntur, & colles loco movebuntur, Esa. 54, 10. quàm unum jota perierit.

2. *In potestate facientis*: præ multitudi- ne fortitudinis, & roboris, virtutisq; ejus neq; unum deficit, Esa. 40. v. 26.

Magnates terreni non semper opem ferre possunt, unde & ipsi imbecillitatem suam confiteri coguntur, ut videmus in Rege Josaphat, 2. Chron. 20. v. 17. Hiskia, Esa. 37, 5. Joram, 2. Reg. 6. v. 27. Ejusmodi impotentem Dominum nō habemus, sed ipse est dicens, & faciens, Ezech. 17, 24. manus ejus non abbreviata est, Esa. 50. v. 2. Omnia, quæ-

cun- que

cunque vult, facit, in cælo, & in terrâ, in mari, & in omnibus abyſſis, Pſ. 135, 6.

Hoc ſi fecerimus, nihil nobis deerit, Dominus daturus eſt nobis, quibus indigebimus, ſi non abundanter, tamen ſufficienter, cum animo paucis contento, ut minimum pro magno placeat nobis, Sir. 29. v. 30. Melius enim eſt modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas, Pſal. 37. v. 16.

### De Secundo.

**P**ergemus nunc ad alterâ partem, *αγγισσο-  
ννοσται*, ſive *notitiam Chriſti* contem-  
platuri. Hic nobis commendatur in Ev-  
angelio præſente:

1. *Tanquam miſericors miſerator.* Dicit enim: Miſereor ſuper turbam. In Gr. eſt vox *σπλαγγίζομαι*, quæ ſignificat, viſcera interiora mihi commoventur, miſerans miſerebor illorum, Jer. 31. v. 20.

Hic adhuc hodie ſons eſt, ex quo omnia beneficia derivantur, quibus affluenter & quotidie fruimur, in hac miſeriarum valle. Cura noſtra nihil efficit, probitas noſtra valet nihil, nihil quoq; bonis noſtris operibus promereri poſſumus, & ut paucis multa comprehendamus, indigni ſumus, quibus Deus panem & vinum largiatur: ſed omnia accepta ferenda ſunt in debita miſericordiæ Servatoris noſtri, cujus miſerationes ſuper omnia opera ejus, Pſal. 145. v. 9. Imprimis inſpectio in electiſe ejus, in quibus gratia & miſericordia ejus, Sap. 3. v. 9.

Hoc altâ mente re-poſtum ſit nobis, ut diſcamus hinc, Chriſtû noſtri, noſtrorum-  
que curam gerere, nec conceſſurum, ut fame moriamur. Quali enim affectu tum in homines fuit, eo adhuc hodie in nos eſt, æque dives eſt hodie ac fuit ab æterno. Sed hoc à nobis requiritur, ut fiduciam in eo

ponamus, identidem ſuſpirantes: O dulciſſime Jeſu! Magnæ in terris ſunt anguſtia, quilibet ſibi proſpicit, ut abundet, tibi derelictus eſt pauper. Et ſicut dixiſti in Evangelio præſente: Miſereor ſuper hanc turbam: ſic etiam miſerearis Chriſtianorum tibi fidentium.

Ejuſmodi precatio non fruſtranea erit: ſed opitulaturus eſt Dominus, ſi non primo, tamen ſecundo, vel certè, tertio die, ut hîc in Evangelio fecit.

Scit ipſe tempus optimum,  
Nobisq; nullum dat malum,

Spes hæc re-poſta nobis?

Er weiß wol weinns am beſten iſt!

Und brauchet an uns kein arge Lit!

Deß ſolln wir ihm vertrauen.

Hæc *conſolatio noſtra ſit*, quando peccata nos accuſant, & conſcientia angit, miſericordia enim ejus ſuper omnem carnem eſt, Sir. 18. v. 12. & major, quàm omnium hominum peccata, ideoq; non deſperemus, ſed recordemur, quod Paulus ait: Ubi exuperat delictum, ibi exuperat gratia, Rom. 5. v. 21.

Hæc *conſolatio noſtra ſit*, quando fides infirmior eſt, ut in dubium vocemus, an conſiſtere poſſimus, coram tribunali Dei. Miſericordia Chriſti, nos ſuſtentare debet, de quo dictum, quod calamum quaſſatum non contriturus, & linum fumigans non exſtinguetur ſit, Ela. 42. v. 3. Virtus enim ejus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. 9.

Hæc *conſolatio noſtra ſit*, quando cruci immerſi, tribulationes multas & malas experiri cogimur, Pſal. 71. v. 20. Miſericordia Chriſti non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, 1. Cor. 10. v. 13. Nunquid obliſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Eſ. 49. 15.

II. *Tanquam famelicorum saturator.* Hic audimus, quod tantum septem panes habeat, & pisciculos paucos, his quatuor milia pascit, ut omnes saturentur. Hoc præclarum est miraculum, quod nemo hominum unquam imitabitur. Sed & idem quotidie facit, si modò agnosceremus? Oculi omnium in te sperant, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Psal. 145. v. 15.

Si possibile foret, ut omnes bestiae in Germania in unum locum convenirent, easq; singulas Princeps Romani Imperii, conveniente cibo, prout natura ejus requirit, unum tantum diem sustentare deberet, impossibile ei foret, licet omnes thesauros suos his impenderet.

Quantà potentià cum esse existimaveris, qui à mundi exordio, non saltem in Germania, sed per totum terrarum orbem omnes bestias & homines cibavit, adhuc quotidie cibatur, & cibaturus est, usque ad diem novissimum? Est ille Dominus, qui rigat montes de superioribus suis: & de fructu operum suorum satiat terram; qui producit foenum jumentis, & herbam servituti hominum: qui educit panem de terra & vinum, &c. Psal. 104. v. 13. seqq.

Est ille Dominus, qui visitat terram, & potat eam, Psal. 65. v. 10. seqq.

Est ille Dominus, qui dat nobis pluviam temporaneam, & serotinam, in tempore suo, septimanas statutas messis custodiens nobis, Jer. 5. v. 24. qui caelos exaudit, ut illi exaudiant terram. Et terra exaudit triticum & vinum, & hæc Israël, h. e. filios gratiæ, exaudiant, Of. 2. v. 22. Dominus, qui operatur salutem in medio terræ, Psalm. 74. vers. 12.

Nemo nostrum vel minimum graminis è terrâ proferre potest, sed quando agrum

coluimus, incrementum à Deo expectandum est, 1. Cor. 3. v. 6. Hic clavem habet cibarii sui, nosq; omni necessitate sustentare valet, multis modis. Aut *ordinariè* mediante agriculturâ, quæ antiquissima parandi victus ratio est, quâ Patriarchæ ante & post diluvium usi sunt, Adam, Gen. 3. 25. Noah, Gen. 9. v. 20. Abraham, Gen. 13. v. 2. Isaac, Gen. 26. v. 12. Boas, Ruth. 2. vers. 1. aliq; plures: cui quoque benedictionem suam Deus promisit, ut Salomo testis est: Qui operatur terram suam, satiabitur panibus, Prov. 12. v. 11. Aut *Extraordinariè*, per media supernaturalia, sicut Israëlitas in deserto Arabico cibavit, Exod. 16. vers. 35. nec non Eliam, 1. Reg. 19. vers. 6. & Danielelem, Dan. 5. vers. 32. 34. Ecclesia sic canit:

Quis Elia te nutrit, *Elia quis te nutrit,*  
 Triennium dum non pluit, *Elia quis te nutrit,*  
 Annona cum gravis? *Ann. cum gravis?*  
 Relicta te Sidonia, *Relicta te Sidonia,*  
 Cibo refecit hospita. *Cibo refecit hospita.*  
 Jacente subter junipero, *Jacente subter junipero,*  
 Descendit Angelus polo, *Descendit Angelus polo,*  
 Ferens cibum potum: *Ferens cibum potum:*  
 Iter meat sic maximum, *Iter meat sic maximum,*  
 Montem usq; ad Orebarduum, *Montem usq; ad Orebarduum,*  
 Haud Daniëlis inscius, *Haud Daniëlis inscius,*  
 Sedentis in leonibus, *Sedentis in leonibus,*  
 Legavit Angelum: *Legavit Angelum:*  
 Jussitq; ferre obsonium, *Jussitq; ferre obsonium,*  
 Per Habacuc seryum saum. *Per Habacuc seryum saum.*

Helia wer ernehret dich!  
 Da es so lange regnet nicht!  
 In so schwer theurer Zeit?  
 Ein Witwe auß Sidonier Land!  
 Zu welcher du von Gott war' st gesand.  
 Nn Da



Da er lag unter dem Wachholder-  
baum/  
Ein Engel Gottes vom Himmel kam/  
Bracht ihm Speiß und Tranc:  
Er gieng gar einen weiten Gang/  
Bis zu dem Berg Horeb genandt.  
Des Daniels Gott nicht vergaß/  
Da er unter den Löwen saß/  
Sein Engel sand er hin:  
Und ließ ihm Speise bringen gut/  
Durch seinen Diener Habacuc.

Sic adhuc hodiè Deus potens est omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus, Eph. 3. vers. ult. Ideò non abjiciamus fiduciam nostram, quando curta supellex nobis est, sicut vidua Sareptanæ, 1. Reg. 17. v. 12. sed orationi instemus: sic Dominus, qui pullos corvorum exaudit, iisq; escam largitur, Psal. 147. v. 9. nostram quoque miserebitur, & verum reddet illud Prophetæ: E-  
dent pauperes & saturabuntur, Psal. 22. v. 27. Sir. 2. v. 12.

III. *Tanquam panis multiplicator.* Septem enim hos panes & paucos hos pisciculos; ita augere potest, ut non saltem faciendis quatuor millibus sufficiant, sed septem sportæ de fragmentis tollantur.

Est hoc opus *omnipotentia divine*, quo Servator noster non nudum hominem se esse, sed *Dei* probavit, qui vocat ea quæ non sunt. Rom. 4. v. 17.

In principio omnia ex nihilo produxit, Gen. 1. v. 3. seqq. Postmodum agriculturæ Isaac benedixit, ut invenerit in ipso anno centuplum, Gen. 26. v. 12. gregem

Jacobi ita benedictione sua auxit, ut duas turmas habuerit, cum ante in baculo suo Jordanem transivisset, Gen. 32, 8 seqq.

Vidua Sareptanæ hydriam farinae, & lecythum olei multiplicavit, ut neutrum minutum fuerit, usque dum annonæ caritas desit, 1. Reg. 17. v. 14. Vide 2. Reg. 4. v. 1. seqq. 2. Reg. 4. v. 42.

Sic adhuc hodiè homines multiplicat, ut interdum decem, viginti vel plures ex una matre nascantur, Gideon habuit septuaginta filios, Jud. 8. v. 30. Abesan habuit triginta filios, totidemq; filias, Jud. 12. vers. 9.

Sic adauget pecudes, multiplicat pisces, amplificat aves, nec minus rem familiarem piorum conjugum, ut ex supellestiale exigua in amplissimas facultates desinat, sicut exemplum Abrahamæ testatur, Gen. 13. v. 2. Hoc benedictioni Dei acceptum ferendum est, quæ divites facit sine molestiâ, Prov. 10. v. 22. & dilectis Dei in somnis dat, Psal. 127. v. 3. Hinc Siracides egregiè: Confide in Deo, & mane in loco tuo, c. 11. v. 22. 24. Hoc si ita observaverimus, non destituemur omni bono, Psal. 34. v. 11. panem aliquando manducantes in regno Dei, Luc. 14. v. 15. panem videlicet Angelorum, Psal. 78. v. 26. cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, Joh. 6. v. 27.

Largiatur id nobis Deus omnibus ex gratiâ, per Jesum Christum, Dominum & Servatorem nostrum,  
Amen.

\* \* \*